(1) Dans le manuscrit que nous transcrivons se trouve ici copie du testament de Jean de Druenen, chanoine et doyen de la collégiale Saint-Pierre, en date du 30 juin 1411. Par ce testament, Jean de Druenen lègue sa maison claustrale, qu'il a acquise de Jean Coen, chanoine de Saint-Pierre, à ses successeurs dans la dignité de doyen de cette collégiale ; il donne, de plus, à la même église, une maison en Neuvice, un pré situé « juxta computatorio dictae ecclesiae », certaines rentes pour la célébration d'anniversaires, pour la fabrique, pour les chapelains, etc., et quatre setiers d'épeautre à la chapelle Sainte-Marie, aux degrés de Saint-Pierre « capella Sanctae Mariae ad » gradus Sancti Petri ». Il termine son testament en priant le chapitre de la collégiale de le faire transcrire dans ses registres et d'en accepter les différents legs. Son successeur, Jean de Goyé, observa les dernières volontés de Jean de Druenen et prit possession de sa maison claustrale, qu'il fit restaurer. Cette maison touchait au « granario ecclesiae Sancti Petri ».

quinque petros auri ; item notario seu secretario nostro duas coronas franc. ; item succentori et duodenis, si non sit scholaris, quinque stuferos ; si sit scholaris, rectori scholarium duos stuferos et succentori et duodenis tres stuferos ; item pro peculio unum nobile et quatuor stuferos pro habente claves cistae ecclesiarum secundarium ; item matriculario.... (1).

Item tenetur quilibet canonicus in prima receptione sua ad unam cappam valoris duodecim et dimidii scutorum veterum seu guihelmi levandorum de primis et promptioribus suae praebendae quotidianis distributionibus, dumtaxat exceptis, quos fructus computator noster deliberare tenebitur illi qui per nos ad hoc fuerit deputatus.

Item praepositi, cantores, scholastici et custodes nostrae ecclesiae in eorum primaeva receptione seu cujuslibet eorumdem de coetero non solvant nisi quindecim sextaria boni vini distribuenda inter canonicos residentes et duos stopos vini similis cantori ecclesiae nostrae et bastionario nostro unum florenum Renensem nec non quatuor florenos seu scuta vetera pro cappa solvendos de primis et promptioribus fructibus praepositurae, cantoriae, custodiae et scholastriae hujusmodi et idem volumus servari circa receptionem decani ; qui siquidem decanus pro sua nova receptione tenetur dumtaxat ad pastum canonicorum consuetum et ad unam cappam in valore 12 et dimidii scutorum veterum seu Guilhelmi sicut canonicus ; et insequendo antiquam ecclesiae nostrae consuetudinem, ac ut controversiae cessent, tenebitur quilibet noviter recipiendus pro juribus hujusmodi antequam per nos recipiatur nobis facere idoneam et sufficientem cautionem et responsalem seu responsales de capitulo.

(1) Espace laissé en blanc.

Item decanus ecclesiae nostrae pro sua prima receptione ad pastum consuetum canonicorum et ad vinum plenarium sicut unus canonicus et sicut de canonicis ibidem est expressum.

De prima residentia perficienda.

Primo statuimus insequendo predecessorum nostrorum et ecclesiae nostrae consuetudinem, quod prima residentia cujuslibet canonici, sive sit presbiter, diaconus, subdiaconus vel simplex scholaris durabit et durat ad unum annum dumtaxat, infra quem siquidem annum quilibet canonicus emancipatus pro suis negotiis peragendis habet 20 dies, infra quos nihil recipiet, et illos recipere potest de licentia decani, capitulo minime vocato, nec poterit ultra 20 noctes dormire extra claustra, quod si non fecerit aut alio modo suam residentiam temere infregerit, videlicet absque causa necessaria, vel absque licentia decani et capituli nihil levabit neque foranium quousque restituerit in integrum quaecumque levaverit et satisfecerit de delicto, et postea tenebitur suam residentiam iterato inchoare et perficere et tenebitur talis primam residentiam faciens in qualibet hebdomada comedere et vivere debitis horis in claustro, ac interesse qualibet die uni ex tribus horis principalibus puta in matutinis, majori missa vel vespers. Si aliquam illarum horarum in civitate Leod. praesens fuerit quamquam pro aliis horis se absentaret aliquando suam primam residentiam infringeret et hec per omnia servari volumus in canonico scholari primam suam residentiam faciente, dempto quod non potest scholaris canonicus exire villam, hoc est dormire extra civitatem seu villam absque licentia decani et capituli petita et obtenta.

Item secundum consuetudinem nostrae ecclesiae intelligimus illum canonicum esse scholarem, qui tempore pro-

visionis seu impetrationis sibi factae de sua praebenda non est in aliquo sacro ordine puta presbyterii diaconatus vel subdiaconatus constitutus quamquam ad aliquem ex ordinibus sacris hujusmodi promoveri se procurasset post provisionem hujusmodi et antequam receptus esset.

Item talis canonicus scholaris habebit totum corpus praebendae suae sicut alter canonicus, sed in distributionibus quotidianis habebit dumtaxat dimidiam partem, nomine autem distributionum hujusmodi comprehendi volumus omnia anniversaria et distributiones quae fiunt his qui horis diurnis et nocturnis intersunt juxta modum in primo superiori statuto descriptum.

De emancipatione et scholis canonicorum scholarium et pastu puerorum ac aliis oneribus novitiorum canonicorum.

Statuimus prout ab antiquo ordinatum fuit quod canonicus scholaris finita prima residentia sua, habebit scholas triennes pro emancipatione sua perficienda in aliquo studio privilegiato seu studio particulari aut alibi prout capacitas et qualitas talis scholaris requiret, et prout ipsis DD. decano et capitulo videbitur expedire, unus tum ex praedictis annis tribus, poterit per ipsos DD. decanum et capitulum gratiose remitti si eis visum fuerit et praemissa procedunt, nisi tales canonici scholares fuerint doctores in theologia aut altero jurium et in medicina bacchalaurei formati in theologia aut altero jurium licentiati aut in artibus magistri; item ille canonicus qui ut scholaris est receptus, non poterit esse capitularis, nec almutium portare, nisi fuerit emancipatus et pro emancipatione hujusmodi solvet 30 sextaria boni vini in valore sex florenorum Renensium canonicis residentibus et cantori duos stopos.

Item juxta antiquam ecclesiae nostrae consuetudinem habebit scholaris quolibet anno, quo in scholis hujusmodi fuerit, 40 modios speltae cum oneribus consuetis, voluntarias autem scholas in aliquo generali studio acceptans, dempta Romana Curia, totum corpus praebendae suae et octo modios speltae de mense novembris habeat.

Item statuimus et ordinamus quod tres juniores canonici in receptione cujuslibet fuerint ordinis sive in sacris constituti, sive non, sive absentes, sive praesentes aut foranei, cum fecerint fructus prebendarum suarum in toto vel in parte pastum puerorum et salarium trium servientium ad altare aequaliter exsolvere habebunt, ita quod quilibet ex his tribus junioribus canonicis qui in festo S^{ti} Nicolai episcopi faciens fructus; ut praefertur, erit obligatus, quo ad pastum hujusmodi sed quo ad salarium trium servientium ad altare inspicietur ad illos qui in principio mensis maii illius anni facient fructus.

Item ultra praemissa tenetur quilibet ex canonicis qui pro scholari fuerit receptus solvere semel duo scuta Guilhelmi antiqua, seu Francos duos, pro antiphonario juvenum in scholis et vestimentorum servientium ad altare majus prout hoc etiam ab antiquo statutum fuit.

Item statuimus quod nullus canonicorum receptorum poterit se facere promoveri ad sacros ordines nisi de expressa licentia decani et capituli et hoc sub poena scholarum unius anni irremissibiliter, quam poenam scholarum evadet moram trahens in extraneis partibus, si ibidem ratione aliorum beneficiorum sacerdotium vel alium sacrum ordinem requirentium et sub illorum titulo fecerit se ad sacros promoveri, sed per hoc non liberabitur ab amari, nec a scholis quae scholaribus dantur si praefertur.

Item nullus canonicorum poterit esse capitularis nisi fuerit viginti quinque annorum aetatis suae completus et in ordine subdiaconali vel majori constitutus.

De capitulis generalibus et gratiis petendis.

Primo si quidem antiquissimam ecclesiae nostrae consuetudinem insequentes, statuimus duo capitula generalia dumtaxat in anno servanda, unum videlicet in crastino martyrii B. Petri, nostri patroni, et aliud in crastino dedicationis nostrae ecclesiae; poterunt tamen hujusmodi capitula ad aliquos dies subsequentes continuari prout decano et capitulo visum fuerit expedire, et habebit quilibet canonicorum residentium et ibidem praesentium pro quolibet capitulo dimidium modium speltae et convenient ibidem decanus et capitulum ad tractandum et expediendum de singulis negotiis ecclesiae tam in spiritualibus quam in temporalibus ac pro emendatione morum singulorum suppositorum ecclesiae nostrae ac reformatione.

Item in primo capitulo, videlicet in crastino martyrii B. Petri celebrando, habent absentes canonici vel capellani gratiam petere et obtinere per se vel procuratores eorum, similiter et canonici praesentes si extra ecclesiam pro anno ex tunc sequenti velint deservire quoniam nullus beneficiatus in ecclesia nostra poterit alibi deservire absque nostra licentia tunc petita et obtenta.

Item in illo eodem capitulo habent DD. decanus et capitulum disponere de servituris altarium quorum rectores sunt absentes ex capellanis: absentes non faciunt fructus suos absque nostra licentia, sed administratio fructuum talium altarium spectat ad dispositionem nostram, taliter quod ex ipsis laudabiliter altari tali in divinis deserviat, residuum vero talium fructuum in augmentum ornamentorum vel reddituum ipsius altaris, aut alias prout pro utilitate ecclesiae visum fuerit expedire; et pro his fructibus percipiendis, deputabitur unus residens ex canonicis nostris, qui singulis annis de mense augusti, ut

moris est, computationem reddet coram nobis; et quilibet canonicus residens ibidem praesens habebit unum stuperum bonum.

Per supradicta autem nequaquam intendimus nos ad hoc arctare, quin extra tempus generalis capituli possemus gratias facere canonicis vel aliis suppositis ecclesiae nostrae, imo gratiae quaecumque factae suum robur obtinebunt, ac si tempore generalis capituli factae essent; et idem servari volumus quo ad alios tractatus aut conventiones quae fiunt in capitulo sed nova statuta aut moderationes antiquorum statutorum, aut mutationes, additiones vel subtractiones eorundem non fiant extra tempora generalium capitulorum, renovari tamen et validari hujus gratiae in capitulo generali: et quia illa consuevit esse inter nos antiqua altercatio quid debeat censi gratiosum vel non gratiosum, et an unus solus posset impedire gratiam in capitulo nostro petendam, ideo pro tranquillitate majori et pace inter nos fovendis, statuimus hoc debere censi gratiosum quodcumque petitur fieri contra statuta supra vel infra scripta, aut contra utilitatem vel honestatem seu commodum ecclesiae nostrae aut etiam in prejudicium vel diminutionem praebendarum nostrarum, et unus solus poterit impedire, quodque autem est plus honestate, utilitate vel comodo ecclesiae nostrae vel pro defensione aut augmento divini cultus, hoc minor pars capituli impedire non poterit.

De juribus et oneribus canonici mortui.

Imprimus renovamus et statuimus quod quilibet canonicus residens nobiscum et residendo decedens gaudeat plene fructibus praebendae quam obtinebat per unum integrum annum die in obitus sui immediate sequentem propter diversa onera tali defuncto incumbentia quae

sequuntur : videlicet primo namque ipse canonicus in residentia decedens obligatur ecclesiae nostrae baldekino in valore decem petrorum auri monetae ducis Brabantiae ; similiter talis decedens nisi unum modium speltae hereditarium vel plus legaverit vel aliter ordinaverit ecclesiae nostrae pro anniversario suo celebrando , teneatur solvere 20 klinkardos auri seu valorem eorumdem pro tali modio hereditarie acquirendo ad anniversarium hujusmodi et recipiuntur haec pecuniae pro baldekino et anniversario pretactis de primis et promptioribus fructibus et aliis suis bonis seu sibi debitis funeralibus tamen ante omnia persolutis. Nam et quisque talis decedentium , seu executores ejusdem seu ecclesia nostra , quae quique canonicorum nostrorum ab intestato decedentium succedit in bonis suis mobilibus , tenentur ad celebrandum seu celebrari faciendum suas exequias , videlicet cum primis et secundis vigiliis per capellanos et infrascriptos officiatos ecclesiae nostrae celebrandis ; pro quibus quilibet talis capellanus , qui talibus vigiliis interest , tres bordos monetae currentis , et tantumdem magister scholarium matricularius , succentor a dextris et succentor a sinistris et bastionarius , et tantumdem habeat quilibet praemissorum pro psalterio legendo more consueto et in die exequiarum quilibet unam quartam vini in valore 20 solidorum pro interessendo summae missae ; quilibet autem duodenorum tres labetos pro vigiliis et totidem pro lectura psalterii ; quilibet autem celebrantium missam ipso die exequiarum habeat 20 solidos monetae currentis ; item hebdomadarius celebrans missam vel alius circa cadaver seu corpus defuncti habeat unam antiquum blaffardum ; item duo hebdomadarii , quibus incumbit advertere ut cadaver defuncti lavetur et ad cistam reponatur , pro talibus laboribus habeant insimul unum antiquum scutum in valore 50 vaddos ; matricularius autem pro pulsu campanarum etiam unum

antiquum scutum; item bastionarius sex libras et thesaurarius ecclesiae nostrae totidem. Inter canonicos autem praesentes et interessentes distribuatur ama vini in valore sex florenorum Renensium auri, ut moris est, et cantori ecclesiae nostrae duo stopi talis vini; item candelae oblatae in exsequiis mortuorum pertinent ad hebdomadarios et alios duos puta evangeliarum et epistolarium. Item similem annum gratiae habeat canonicus residens nobiscum, quamvis extra civitatem Leodiensem decesserit, dummodo in recessu suo licentiam petierit a domino decano vel vicedecano, quia tunc per omnia habebitur, ac si infra munitatem claustrum nostri decessisset, quod si absque licentia decani vel vicedecani recesserit censebitur quo ad annum gratiae absens quamquam quo ad alia pro presenti reputabitur.

*De juribus fabricae ecclesiae nostrae in praebendis
canonicorum.*

Item insequendo communem observantiam nostrae et aliarum ecclesiarum Leodiensium statuimus et ordinamus quod fabrica gaudebit integraliter per annum fructibus praebendae vacantis per obitum cujusque canonici ecclesiae nostrae et hic annus statim incipiet post dictum annum gratiae; ita quod canonici novitii tales praebendas defunctorum obtinentes; de cætero post duos annos hujusmodi recipient fructus praebendarum suarum postquam recepti fuerint, prout ipsorum ordini incumbit absque ulteriori expectatione non obstante quod aliter fuisset aliquando observatum, prout etiam per decanos et ecclesiarum secundarium capitula latius est ordinatum ut inferius etiam continetur.

Item simili privilegio perceptionis fructuum per integrum annum gaudebit ipsa fabrica dum aliqua praebendarum ecclesiae nostrae vacat per dimissionem, simplicem resi-

gnationem, ingressum religionis, aut alterius beneficii assecutionem aut contractum matrimonii; et tunc novus canonicus ad talem praebendam veniens habebit dumtaxat expectare per unum annum, a die vacationis talis praebendae nobis notae computandum, salvo semper in premissis omnibus, quod canonicus novitius venire posset ad residentiam sub perceptione mediorum fructuum prout hactenus observatum fuit, ita quod dumtaxat de cœtero unus casus est in quo fabrica non habet jus in perceptione fructuum praebendae vacantis, videlicet dum praebenda seu canonicus vacant per viam permutationis canonicae, nam tunc compermutans post suam receptionem succedit in praebenda, statim venit ad plenam praebendam, absque hoc quod fabrica ac quisvis alius habeat se de eadem intromittere.

De canonicis foraneis aliisque officiatis absentibus et decedentibus.

Item quia canonici foranei non obligantur ad onera canonicorum defunctorum residentium, de quibus supra fit mentio, ideo statuimus et ordinamus quod tales canonici foranei decedentes eorumve haeredes non habebunt annum gratiae, nec fructus aliquos suarum praebendarum post eorum obitum, sed talis annus gratiae cedit ad utilitatem dictae ecclesiae seu capituli; quo ad canonicos autem absentes post eorum primam residentiam factam aut redemptam, volumus quod pro anno gratiae habeant tantum quantum habere solebant pro absentia et gratia eorum per annum obitum eorum praecedentem, et ob hoc tenetur talis canonicus absens decedens ad unum modium speltae hereditarii redditus pro anniversario suo celebrando, sicut de canonicis residentibus decedentibus superius est expressum at ad nulla alia onera tenebuntur.

Item statuimus quod quilibet canonicorum absentium

teneatur constituere et habere unum procuratorem acceptantem apud ecclesiam nostram, habilem et idoneum ad supportandum onera absentibus incumbentia, tam in eundo ad ecclesiam Sancti Lamberti quam cantando ac alia occurrentia subeundo et quoties in hoc defectus reperiatur incidant in pœnas circa hoc statutas.

Item quoties cantor ecclesiae nostrae se absentaverit vel apud ecclesiam nostram residentiam non fecerit, non potuerit substituere loco sui alium cantorem nisi de expresso consensu capituli nostri et nisi hoc fecerit, capitulum praetactum substituet unum idoneum qui dignoscitur habere notitiam plenioram et idem per omnia servari volumus quò ad scholasticum ecclesiae nostrae.

Item quia juxta antiquam ecclesiae nostrae consuetudinem ad nos spectat dispositio fructuum praepositurae, decanatus, scholastriae, cantoriae, custodiae et aliorum beneficiorum ecclesiae nostrae, dempta vacatione praebendarum canonicorum residentium et aliorum decedentium ut praefertur, qualitercumque vacantium quo ad duos primos annos, ideo volumus quod onera praepositurae, decanatus, cantoriae, scholastriae et custodiae hujus modi nullatenus negligantur, sed suppleantur per aliquem idoneum per ipsum capitulum ordinandum, cui idem capitulum providebit de salario competenti; praeposituram autem, decanatum, scholastriam, cantoriam, custodiam aut alia beneficia ecclesiae nostrae quo ad hoc vacare censemus quamdiu hujusmodi praepositus, decanus, scholasticus, cantor, custos, canonicus, alias quivis alius beneficiatus per nos more solito receptus non fuerit.

De oneribus canonicorum residentium circa chorum et alia.

Statuimus et ordinamus quod canonici residentes chorum visitent et intersint celebrationi divinorum ejusdem ecclesiae nostrae, cantando, psalmodiando, legendo et alia

faciendo, quae nostris praebendis incumbant et prout capacitas uniusquisque requirit, auscultetque quilibet devote absque confabulationibus, risibus ac aliis similibus, ac faciat quisque id ad quod per cantorem vel succentorem aut alium ad hoc deputatum ordinatus fuerit, ac veniet unusquisque ita tempestive ad chorum, ibidemque permaneat et defectus nullus existat, circa lectionum ac responsoriorum decantationem et anthiphonarum intonationem ut quisque servitium peregrat pro quo noscitur beneficium obtinere.

Item statuimus quod quilibet canonicorum in turno suo et prout descriptus fuerit in tabula chori ac onus custodiae chori subire cantorique assistere cum cappa in duplicibus festis, prout hactenus servatum est; tenetur etiam custos chori ad decantationem versus qui in Cruce tempore vigiliarum defectorum, similiter etiam ad Sanctum Lambertum ire in turno suo, et quoties ad hoc signatus fuerit in dicta tabula chori; quod si aliquis canonicorum in hoc negligens fuerit, toties quoties perdet valorem unius dimidii stupheri boni, salvo in praemissis quod cantor nostrae ecclesiae non teneatur ad custodiam chori propter diversa onera ejusdem cantoris seu vicegerentis circa missas speciales et alia praemissa; item quod singuli deputati ire ad Sanctum Lambertum in festis majoribus hoc adimplere tenebitur personaliter, nisi legitime impeditus fuerit et tunc per canonicum vel capellanum sub poena novem solidorum irremissibiliter exigendorum et similiter ac sub simili poena tenentur ire cum decano vel vicedecano existentes ad custodiam chori et collationes beneficiorum ac immediate precedens et immediate subsequens dum casualiter ad Sanctum Lambertum vel apud Dominum nostrum episcopum Leodiensem demandati fuerimus.

Item quia in festis solemnibus in quibus ecclesiae secundariae ad ecclesiam majorem transire habent pauci ex nobis in illis ad ipsam ecclesiam transire curabant, quod

in nostrum et ecclesiae nostrae dedecus redundabat atque scandalum, unde etiam saepius altercationes et rixae inter nos suborte fuerant; ideo ad obviandum illis et pro honestate ecclesiae nostrae, ac ut deinceps omnes transeamus, statuimus quod quilibet nostrum in festis hujusmodi ad praedictam ecclesiam majorem transiens et usque in finem ibidem permanens habeat florenum Brabantiae sibi per computatorem nostrum in reditu tradendum, quodque non transeuntes et absentes nihil habebunt nisi vere et legitime fuerint impediti quominus ibidem transire potuerint liberis diebus locum sibi in hoc minime vendicantes.

Insuper quia plerumque nonnulli ex canonicis deputati ad expeditiones negotiorum ecclesiae nostrae ea expedire renuunt, plerumque causa desidia, unde saepius ecclesiae nostrae obveniunt damna non modica, et per hoc hi qui fuerunt diligentes tardi efficiuntur unusque per alium sic se excusat, ideo statuimus et ordinavimus quod quicumque ad aliquem actum, seve in civitate Leodiensi vel extra capitulariter deputatus fuerit, aut ad exercitium alicujus officii adsumptus, illud realiter et juxta posse suum adimpleat, omni frivola occasione cessantes, sub poena amissionis unius modii speltae ex primis et promptioribus fructibus praebendae suae, nisi justa, vera et rationabilis causa per capitulum etiam approbata ipsum excusaverit.

Item ordinamus de canonicis non dicentibus horas quod de ejus praebenda recipiantur quatuor floreni Rhenenses, qui dabuntur per decanum illi qui dicet horas canonicas dicti canonici.

Item statuimus quod quilibet canonicus emancipatus residens, facta sua prima residentia, pro suis negotiis peragendis sive in civitate Leodiensi, sive extra de gratia habeat 30 dies, diebus recessus et reditus minime computatis in quibus praebendam integram recipiet cum distributionibus quibuscumque demptis dumtaxat festis duobus

principalibus ecclesiae nostrae videlicet martyrii S^{ti} Petri patroni nostri et dedicationis nostrae ecclesiae et duobus capitalibus generalibus et anniversariis conditionatis et si ipsum canonicum scilicet resedentem cum licentia decani vel vicedecani infirmari contingat infirmitatemque suam legitime decano et capitulo notificaverit absque dolo et fraude, praebendam suam sine diminutione recipiat quamdiu infirmitas duraverit et ad ecclesiam nostram redire non poterit et si decessit, habebit annum gratiae ut preferitur.

Item infirmi et minuti totam praebendam sine diminutione percipiant infirmitate durante et minutio duret dumtaxat per triduum.

Item statuimus quod si aliquis canonicus deassecuratus fuerit, vel dixerit se deassecuratum, seu metum habere propter quem non possit ecclesiam frequentare, permanendo in domo sua, habebit integram praebendam dum tamen hoc probaverit legitime, quod si probare nequiverit super hoc stabitur suo juramento.

Item ut redditus ecclesiae non pereant, sed appareant, statuimus quod quaecumque bona redduntur ad accensam pro certa summa in grosso, nihilominus personae et summae scribantur particulariter in registro, et renoveantur de caetero registra ad minus quolibet decennio propter personas debitorum et etiam propter confrontationem seu confirmationem confinium, qui plerumque de decennio in decennium alterantur.

Item statuimus quod nullus canonicus propria auctoritate vel quomodolibet aliter fructus et proventus praebendae suae seu redditus ecclesiae quocumque nomine censeantur levet vel percipiat ab aliquo debitore vel trecensario aliquam pecuniam vel bladum quantumcumque ecclesia dicto canonico teneatur, nisi illam restituat computatori infra triduum postquam Leodium redierit, poenam dupli illius quod levavit et dimidiae amae vini se noverit ipso

facto incurrisse, nec aliquid de fructibus suae praebendae percipere poterit, imo ex nunc ex presenti statuto dicti fructus ecclesiae cedunt, donec capitulo de premissis satisfecerit ad plenum, nec alicui sic delinquenti capitulum poenam hujusmodi remittere poterit vel quittare.

De capellanis ecclesiae nostrae ipsorumque et aliorum beneficiorum sub ecclesia nostra existentium admissio- nibus, receptionibus ac beneficiorum collationibus.

Inprimis considerantes quod litterae foundationum altarium in nostra ecclesia in magna parte sunt deperditae et in aliquibus numerus missarum septimanatin in altari celebrandarum non est expressus, attendentesque plurima alia onera eisdem nostris capellanis residentibus incumbentia, nedum circa interessentiam divinorum sed etiam propter celebrationem plurium missarum quas in communi inter ipsos quotidie celebrare habent, nos igitur decanus et capitulum predicti ne fundatores debitis suffragiis defraudentur et statui ac indemnitati talium capellanorum provideatur, statuimus et ordinamus quod quilibet capellanus in altari suo ecclesiae nostrae residens, cujus fructus, redditus et proventus in grosso, oneribus realibus deductis, ascendunt ad valorem decem modiorum speltae hereditariae pactus et mensurae Leodiensium, in qualibet hebdomada per sel vel alium celebret unam missam orando seu orari faciendo pro anima fundatoris vel animabus fundatorum hujusmodi altaris; et si grossum extendat se ad 25 modios, duas celebret misas; si vero ad quadraginta, tres et amplius tres tales missas in altari tali celebrare tenebitur; quod autem ad capellanos absentes qui talia onera non subeunt, servetur sicut haetenus servatum est, ut scilicet una missa celebretur dum grossum altaris sui ad decem modios, et duae cum ad viginti, et tres missae

celebrantur cum ad 30 et ultra modios se extendat; ut sic omnia juste compensentur, eo quod residentes nobiscum quotidie orare censentur pro animabus fundatoris cum aliis divinis in nostra ecclesia intersunt; et si quis capellanorum vel mercenariorum in missis sic dicendis negligens fuerit, rationabili causa cessante, pro omissae cujuslibet perdet unum stufferum bonum cujus duae partes applicabuntur fabricae ecclesiae nostrae et tertia pars illi quem circa negligentiam talium missarum signandarum, medio juramento illius signatoris annuatim deputabimus. Intentionis tamen nostrae non est quidquam detrahere vel derogare foundationibus altarium ecclesiae nostrae de quibus litterae apparent et in quibus numerus missarum celebrandarum est expressus sed servantur illae in omnibus et per omnia juxta fundatorum voluntatem.

Item quilibet investitus primitus veniens ad aliquod beneficium spectans ad collationem vel praesentationem ecclesiae nostrae in parte vel in toto vel habentium dignitates aut officia in ecclesia nostra tenetur in suo primo adventu fabricae ecclesiae unam coroneam auream exsolvere et de minoribus beneficiis unum florenum Renensem aut unum petrum aureum vel similem poenam auri.

Item quilibet capellanus provisos de beneficio aliquo, cujus non solum collatio et provisio, sed etiam institutio, admissio et possessionis traditio ad nos spectant, solvere habebit in suo primo adventu triginta dimidia sextaria vini distribuenda canonicis residentibus et cantori unum stopum et bastionario unam quartam similis vini et capellani ecclesiae nostrae prout consuetum est; quodque vinum hujusmodi taxabitur per nos juxta qualitatem beneficiorum hujusmodi ut ab antiquo moris est, et idem observatur quo ad investitos parochialium ecclesiarum S^{ti} Servatii Leodiensis et villae de Anse prope et extra Leodium.

Circa autem collationem beneficiorum sub collatione vel praesentatione ecclesiae nostrae existentium, insequendo antiquam ecclesiae nostrae observantiam, statuimus et ordinamus quod canonici praebendati ecclesiae nostrae in sacris ordinibus constituti et qui protunc residentiam fecerint, in eadem ecclesia habebunt singulas septimanas suas incipiendas singulis diebus dominicis in aspersione aquae benedictae, ita quod si vacaret infra dictam ecclesiam aliquod beneficium ecclesiasticum spectans ad collationem decani et capituli ipsius ecclesiae, ille canonicus qui de more ejusdem ecclesiae collator beneficiorum nuncupatur et in tabula chori ut talis inscribitur, infra cujus septimanam idem beneficium vacaret, illud vice et nomine capituli conferre posset et ad illud personam idoneam dictis decano et capitulo presentare vel nominare, ipsique decanus et capitulum praefatam personam nominatam vel presentatam ad beneficium supradictum sic vacans admittere tenentur et eam rectorem ejusdem instituere, collationem hujusmodi eorum nomine et vice factam laudaturi et ratam habituri.

II

VISITE DE LA COLLÉGIALE SAINT-PIERRE

19 MARS 1613.

In nomine Domini. Anno nativitatis eiusdem MDCXIII, die XVIII mensis martii, cum Antonius Dei et apostolicae sedis gratia episcopus vigiliarum nuntius apostolicus, ecclesiam collegiatam Sancti Petri in civitate Leodiensi visitare vellet, per aliquot dies ante D. decanum et capi-

tulum illius ecclesiae prius monendos curavit, ut omnia ad visitationem necessaria praepararent; ipse vero nuntius apostolicus, die praefata, assumpto secum notario Christiano cum D. Hieronyme Saraceno ejus auditore et D. Thoma Vicelli, theologo et sacerdote anglo, associatus a tota sua familia et a decano et seniore illius ecclesiae ivit recta ad praedictam ecclesiam ubi prae foribus invenit capitulum congregatum, una cum cruce in habitu choralis et datum fuit aspersorium a D. decano D. S. Illustrissimae quae aqua lustrali semetipsum et alios ibidem praesentes aspersit; deinde datum ei fuit incensum a seniore canonicorum, postea recta iverunt ad altare maius, ubi repositum erat sanctissimum sacramentum et genibus flexis ante illud post orationem intonavit hymnum *Veni Creator* et reliqua fuerunt cantata musice; deinde dicta oratione de Sancto Spiritu exuit cappam pontificalem et induit vestes sacerdotales, et celebravit missam currentem illa die Sancti Josephi cum collecta de Sancto Spiritu; post celebratam missam fecit aspersorium pro mortuis, deinde rediit ad altare.

Visitavit sanctissimum sacramentum, quod sanctissimum sacramentum reperiit conservatum in pixide quadam argentea satis decenti in quibusdam particulis parvis; locus tamen in quo conservatur est super iconam altaris maioris indecenter ad modum, nec est intro vestitus panno serico et posset facile auferri.

Non habent umbellam maiorem decentem pro deferendo venerabili sacramento processionaliter.

Lampas ardet assidue ante venerabile sacramentum sumptibus fabricae.

Deinde compertum est quod exponitur sanctissimum sacramentum in festo corporis Christi et tunc etiam processionaliter defertur circa ecclesiam et in aliis anni tempo-

ribus ex devotione pariter aliquando super altare ponitur adorandum populis.

Raro canonicos cumcommunicare compertum est.

Reliquiae.

Habet aliquas reliquias haec ecclesia quae conservantur supra iconam altaris maioris ab utraque parte quarum index hic annectitur :

Sunt duae cassae super tabula summi altaris. In ea quae est a cornu evangelii sunt haec scripta litteris aureis : Reliquiae sanctorum Andreae et Jacobi maioris apostol., Laurentii, Mauritii et Victoris mart., Sylvestri papae, Servatii, Martini, Uberti. In ea quae est a cornu epistolae haec habentur litteris aureis : Reliquiae sanctorum Agathae, Luciae, Catherinae, et Barbarae virg. et mart., Petronillae et Christinae virg..

Item in sacristia eiusdem ecclesiae haec vasa :

Primo reliquiarum unum magnum ex argento quadratum clausum quatuor vitris christallinis, quorum unum fractum est, incluso uno magno osse cum hac inscriptione : D. Laurentii maxilla, seu potius mentum cui dentes adhuc quinque adhaerent.

Item unum aliud reliquiarum argenteum deauratum in quo recluduntur 18 generum reliquiae involutae panno serico in vitro rotundo.

Item unum aliud vas simile continens aliquas reliquias, habent desuper effigies Petri et Pauli exornatas auro cum colore cœruleo.

Item aliud vas cum eisdem effigibus exornatis incluso uno vitro transparente cum hac inscriptione : De Innocentibus.

Item aliud parvum reliquiarium argenteum deauratum, pede cupreo, in quo reconditur unum os sancti Adelini.

Item aliud simile vas argenteum cum pede cupreo inclusis certis reliquiis.

Item unum aliud reliquiarium argenteum deauratum pede cupreo, inclusis reliquiis de sancto Petro apostolo.

Item aliud reliquiarium cupreum deauratum inclusis cum hac inscriptione : reliquiis de superpelliceo sancti Uberti, et de veste eiusdem cum qua fuit sepultus et amictu.

Item aliud reliquiarium christallinum rotundum cum reliquiis inclusis.

Item in parva bursula ex tela aurea, dens sanctae Apoloniae et in magna bursa ex rubro serico, pars humeri sinistri sancti Laurentii.

Totarum reliquiarum non habent authentica documenta, verum ab immemorabili hominum memoria semper pro talibus fuerunt habitae, deferunt ea processionaliter (1).

Altaria.

Habet haec ecclesia viginti altaria quae omnia fere sunt consecrata, ut ex signis quae in ipsis apparent constat, verum omnia fere sunt nimis parvula, nec decenter in ipsis celebrari potest et multi carent icona, bredella et pluris aliis necessariis.

Altare maius est consecratum ut constat pariter ex signis, habet enim mensam lapideam integram, licet tela serata non sit tecta, nec tribus mappis et est sine clatris et

(1) Il faut remarquer qu'il n'est point fait mention parmi ces reliques conservées à Saint-Pierre, ni d'ailleurs dans tout le reste du procès-verbal dont nous donnons des extraits, de la célèbre clef dite de saint Hubert de laquelle nous avons parlé plus haut. Peut être qu'à cette époque (1613), elle ne faisait déjà plus partie du trésor de la collégiale Saint-Pierre.

cancellis. caret etiam umbella a parte superiori et fenestella pro urceolis; caret etiam decenti icona. Capella maior ita instructa est ut emisei formam exhibeat; ad illam ascenditur duobus gradibus a choro.

In sacello prope chorum a latere evangelii est altare sanctorum Laurentii et Sebastiani (1).

In eodem altari est altera cappella sub invocatione sanctae Genovefae.

In parva interiori cappella est aliud altare sancti Remigii et Vincentii.

In eodem altari est alia fundatio sub invocatione sanctorum Petri et Pauli.

Tertium altare sub invocatione sancti Lamberti.

Ab eodem latere adest capella Bardoy, sub invocatione Nominis Jesu.

Ab eodem latere, altare ad pilare prope chorum, sancti Servatii.

Ab eodem quoque latere, altare sanctae Agnetis ad pilare in medio ecclesiae.

Sub campanili est: Unitum sed litigiosum altare sancti Andreae primae foundationis et secundae foundationis.

A latere epistolae supra cripta:

Altare sancti Nicolai.

Altare aliud in eadem cappella sancti Petri et Uberti.

Aliud altare in eadem capella sub invocatione sancti Leodigarii.

Prope portam chori a latere epistolae, altare quatuor Evangelistarum.

Ab eodem latere, parva quaedam cappella sub invocatione sanctae Petronillae.

(1) Nous ne reproduisons pas ici le manuscrit in-extenso; en effet, il donne, à la suite de chaque autel, le nom du prêtre qui en est le recteur ou bien qui y célèbre la messe, ainsi que l'indication des fondations qui y sont faites et des revenus qui y sont attachés.

Alia capella ab eodem latere, nominata capella de Hans, sub invocatione sanctissimae Trinitatis.

Altare ad pilare ab eodem latere, ex opposito dictae cappellae parvae, sub invocatione D. Mariae.

Altaria in crypta :

Altare maius capellae sub invocatione sancti Albani.

Altare evangelii in dicta crypta sub invocatione sanctorum Petri et Magdalenae; idem altare habet secundum foundationem sub invocatione sanctarum Catharinae et Magdalenae.

Altare epistolae in dicta crypta, altare sub invocatione sancti Joannis Baptistae.

Ab eodem latere, altare sub invocatione S^{ti} Mauriti.

Extra ecclesiam inter gradus et ecclesiam est capella sancti Trudonis et Clementis, cuius rector habet curam animarum saecularium, qui degunt in aedibus canonicis.

Alia capella ad gradus, sub invocatione Beatae Mariae.

Fundatio et dedicatio ecclesiae sancti Petri.

Anno circiter DCCX ecclesia B. Petri Leodiensis fundata fuit a B. Uberto fundatore civitatis eiusdem in monasterium ordinis sancti Benedicti.

Anno circiter DCCCLVI destructa per Normannos, qui capita aliquot monachorum trucidatorum ibidem affixerunt clavis ad pilaria criptae.

Anno vero Domini DCCCCXXI iterum constructa et dedicata a Ricario episcopo Leodiensis, tempore regis Francorum Caroli simplicis, qui Ricarius ecclesiam aedificiis ampliavit et illic XXX canonicos constituit.

Dicta ecclesia modo est satis ampla ad similitudinem crucis ex pavimento lateritio, tota fornicata, constatque ex tribus navibus, et chorus qui est in medio ecclesiae

dividit saeculares a clericis, licet multoties laici etiam tempore divinorum officiorum in subselliis et locis canonicorum illis exclusis sedeant.

Habet portam ad occidentem spectantem in angulo ecclesiae; a meridie habet alteram portam, ad quam ascenditur per scalam lapideam, quae est ruinosa et reparatione indiget.

Habet campanile cum campanis, formae quadratae, aedificatum in frontispicio ecclesiae.

De sepulturis et coemiterio.

Habet duo coemiteria haec ecclesia, in quorum primo a magistro chori fuerunt plantatae herbae et inseruit pro viridario. Aliud est vero apud criptam, in quo sepeliuntur mortui, cuius murus ex aliqua parte corruit. Sunt in ecclesia multa sepulchra, certo tamen non constat ad quos particulariter spectent.

Sacristia.

In hac ecclesia sunt duae sacristiae, altera a latere epistolae ubi asservatur suppellex ecclesiastica; in alia vero parantur sacerdotes (1).

(1) Le procès-verbal de visite, dont nous donnons des extraits ci-dessus, ne remplit pas moins de 66 pages d'un manuscrit in-folio; il contient encore d'autres renseignements intéressants touchant la collégiale Saint-Pierre, les droits du doyen, les biens et les revenus du chapitre, etc.

